

Nova dioecesium ordinatio in finibus Venetorum.
Pius episcopus Servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam

1. *De salute Dominici gregis curae Nostrae divinitus commissi studio paternae charitatis solliciti, canonum rigorem temperare, ubi graviorum causarum necessitas praesertim in tanta communium temporum inclinatione postularit, eaque ex tradita Nobis auctoritate decernere adigimur, quae ad praecavenda mala deteriora noverimus ex rei et sacrae et publicae conditione redundare. Hinc Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes ecclesiarum quarumdam statum, dioeceses, praerogativas, subjectionemque prout post nuperrimam rerum conversionem expedire magis in Domino visum est, immutare, moderari, constituere pro locorum varietate ac peculiarium factorum complexione non abnuimus. Haec a Nobis pro ecclesiis, quae in Venetorum finibus suo in praesens subsunt imperio impense efflagitavit carissimus in Christo filius Noster Franciscus Austriae imperator, ut certas quasdam commutationes, quas earundem ecclesiarum rationes, vicinitas, confinia, aliaque causarum momenta videbantur exposcere, apostolica vellemus auctoritate praefinire.*

2. *Referebatur siquidem binas episcopales ecclesias Caprularum et Torcellanam eo esse loci ut ob coeli gravitatem morari ibidem haud solerent antistites, qui Venetiis, ut plurimum, degebant: sacrorum propterea administros perpaucos esse, eosque fortuna egentes squalere inopia canonicorum collegia, eosque nonnisi ex pensione, ab aerario tributa vectitare: chorales proinde functiones festis dumtaxat diebus vel nullo vel miserabili sane apparatu haberi: grandem vero esse incolarum egestatem quorum mille ac biscentum Caprularum dioecesis percenset, ac vix quindecim mille Torcellana: eam idcirco earundem ecclesiarum esse conditionem, ut nequaquam episcopatus honorem posse ibidem sustineri pro dignitate palam sit: ideoque rogabamur, ut eas perpetuo supprimeremus ac patriarchali Venetiarum ecclesiae attribueremus.*

3. *Exponebatur insuper, binas alias episcopales ecclesias, Bellunensem videlicet sub invocatione sancti Martini episcopi, et Feltrensem sub invocatione sancti Petri apostolorum principis multis licet nominibus commendatas, tenui tamen potiri patrimonio, et ex temporum quae nacti sumus asperitate plura et gravia cepisse detrimenta: talem vero esse earundem ambitum et vicinitatem, ut ab uno possint apprime regi pastore; illas propterea saeculo XIII ineunte ex auctoritate felicitis recordationis Innocentii III praedecessoris Nostri insimul unitas fuisse; atque in eumdem modum ad annos fere biscentum sexaginta ipsas fuisse ab uno episcopo procuratas, donec a Pio II pontifice iis iterum sejunctis suis cuique fuit datus antistes. Quae cum ita sint petebatur ut certis quibusdam legibus vellemus eas aequae principaliter unire, servata cuilibet cathedralis ecclesiae dignitate ac natura. Illud praeterea animadvertebatur, extinctis Caprularum et Torcelli episcopatibus Clodiensem ecclesiam unice superesse patriarchatus Venetiarum suffraganeam; enixius idcirco efflagitabatur, ut translato in ipsum ab Utinensi ecclesia jure metropolitico, splendori ejusdem ac praeeminentiae consuleretur, attributis eidem in suffraganeas tum ipsa Utinensi ecclesia in simplicem episcopalem redigenda, tum caeteris, quae archiepiscopatu Utinensi subsunt, tum demum et Adriensi a Ravennatensi archiepiscopatu sejungenda.*

4. *Complures denique cum extent paroeciae a suorum episcoporum sede quam maxime remotae, quas ex locorum longinquitate atque itinerum difficultatibus minus commode, neque ea qua par est animarum utilitate, neque opportuno regiminis sistemate geri posse dignoscitur, eas propinquioribus episcopis attribuere atque pro locorum positione adjungere deposcebamur, ut ita nova decreta dioecesium per eas regiones constitutione rebusque sacris ibidem apte atque feliciter ordinatis fidelis populi utilitati et commodo prospiceretur.*

5. *Re igitur universa in consultationem deducta, omnique rite perpensa causarum, quae de tanto negotio proponebantur, vi ac natura, nec non auditis omnibus quorum intererat statui ecclesiarum in Venetis finibus existentium modo et forma per hasce apostolicas literas sancientis duximus in Dominio providere.*

6. *Itaque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, in civitate et ecclesia Caprularum, itemque in civitate et ecclesia Torcelli, quae modo suis sunt destitutae pastoribus, episcopalem cathedram, sedem, titulum atque omne episcopale jus iisdem ecclesiis et sedibus hactenus adnexum, nec non earundem capitala, dignitates, canonicatus atque praebendas penitus, omnino ac perpetue supprimimus et extinguimus; earumque dioeceses animasque Christifidelium, in locis eorumdem episcopatum regimini subjectis degentium, ecclesiasque, paroecias, sodalitates ac loca quaelibet pia inibi extantia patriarchali ecclesiae Venetiarum integre ac perpetuo tribuimus, assignamus, atque supponimus.*

7. *Eas vero binas ecclesias, cathedralitatis dignitate ab iis per praesentes adempta, parochialitatis naturam et statum conservare praecipimus, quas per idoneos presbyteros juxta canonum statuta adsciscendos volumus administrari, proviso ex earumdem bonis pro stabili ac tuta earumdem dotatione in divini cultus et ministrorum tuitionem, nec non ut juxta ipsius Francisci imperatoris pollicitationes canonicis, praebendatis aliisque beneficiariis ex capitulis mox extinctis congrua pensio quoad vixerint a publico aulario persolvatur.*

8. *Porro eidem Venetiarum patriarchatui bona ac redditus quoslibet dictarum sedium attribui mandamus ea lege ut patriarcha pro tempore existens in Caprularum et Torcelli civitatibus vicarium foraneum constituat, amplioribus praeter morem facultatibus donatum, in utiliore promptioreque fidelis populi procuracionem, cui ex viarum natura et ex lacunosa vicinitate aditus patet ad antistitem difficilior, tum etiam ut ejusdem patriarchatus impensis alatur alter coadjutor curatus, qui archipresbytero Caprularum et alteri cappellano coadiutori jamdiu ibidem existenti ad sustinenda felicius parochialia munera operam praestet juxta sacrorum canonum et synodaliū decretorum instituta: tum demum ut stata quaedam pensio ab eodem patriarcha seminario patriarchali in annos singulos persolvatur, ut tres ex suppressis dioecesibus adolescentes gratuito ibidem religioni et sacris disciplinis apprime instituantur.*

9. *Cum vero Nobis compertum sit in ambitu dioecesis Torcellanae parvas aliquas insulas extare, quibus haud ita pridem propriae ademptae fuerunt paroeciae, mandamus venerabili fratri Francisco Mariae Venetiarum patriarchae, ut omnino curet restitui ibidem juxta ipsius Francisci imperatoris pientissimam promissionem paroecias easque congrua et apta dote fulciri.*

10. *Eadem vero apostolicae auctoritatis plenitudine, binas episcopales ecclesias Bellunensem et Feltrensem, quae in praesens vacant, insimul aequae principaliter perpetuo unimus, ita ut in posterum ab uno eadem administrantur episcopo eaeque uti cathedrales sint, et agnosci debeant, neque una alteri sit obnoxia, sed ambae sint independentes, ac aequae principaliter consociatae, earumque episcopus utrique ecclesiae hujusmodi praesit, et Bellunensis, ac Feltrensis episcopus censeatur, et sit, praenominationem suscipiens ab actuum definiendorum pertinentia, et si quando communes ii sint e loco dioecesis in quo moratur, servata quoad praenominationem in ipsius provisione mutua quadam, et alterna vicissitudine, adeo ut, qui primus ad eas cathedras moderandas adlegatur, Bellunensis et Feltrensis episcopus nuncupari debeat; qui vero post illum secundo loco earum ecclesiarum antistes electus fuerit Feltrensis ac Bellunensis episcopus nominetur. Possessionem vero capiant promovendi in utraque cathedrali ecclesia, in iisque residentiam equaliter pro annis singulis distribuant, duosque vicarios generales in spiritualibus atque synodales examinatores pro singulis dioecesibus adsciscant. Tempore etiam vacationis sedis episcopalis utraque capitula suum vicarium capitularem eligant ad canonum statuta: cunctaque de sedibus aequae principaliter atque independentes unitis per sacros canones ac per praedecessores Nostros decreta accurate, diligenter apprime serventur.*

11. *Bona autem, quibus earum ecclesiarum patrimonium constat, assignamus ac tribuimus episcopali mensae, ita nimirum, ut tanta ex iis portio discernatur e qua redditus annalis librarum quindecim mille liber ab oneribus eidem obveniat, reliquis in seminarii Feltrensis commodum collatis, quod et Bellunensis titulum suscipiet, donec Belluni proprium seminarium ad Tridentinas praescriptiones restitui, atque iis, quae necessaria sunt, institui possit pro tempore et copia.*

12. *Item apostolicae potestatis plenitudine postulationibus ejusdem Francisci imperatoris pontificia benignitate annuentes, illustrique ecclesiae Venetiarum ubi summi pontificatus honorem humilitati Nostrae ex divina miseratione delatum suscepimus, opportune consulentes, archiepiscopalem cathedram, dignitatem, ac titulum in Utinensi ecclesia, quae nunc vacat, nihil prorsus quoad ejusdem capitulum innovantes penitus omnino, ac perpetuo supprimimus, et extinguimus, eandemque ecclesiam ad simplicis episcopalis cathedrae statum revocamus, ac de novo constituimus, atque omnia, et singula metropolitana jura, praerogativas, ac privilegia eidem Utinensi metropolitanae legitime spectantia, plene, atque integre in futurum transferimus, et perpetuo adjicimus in patriarchalem ecclesiam Venetiarum, cui proinde praeter Clodiensem novae suffraganeas ecclesias assignamus Utinensem, Patavinam, Veronensem, Vicentinam, Tarvisinam, Concordiensem, Cenetensem, et Bellunensem, ac Feltrensem. Alias vero ecclesias Oemoniensem, Istinopolitanam, Parentinam, et Polanam, quae pari modo suffraganeatus lege mox dictae ecclesiae Utinensi suberant, eidem patriarchatui Venetiarum ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum subicimus, et supponimus, reservantes Nobis, ac summis pontificibus successoribus Nostris facultatem de illis aliter libere, et absque ullius novi consensus concursu decernendi prout magis in Dei gloriam conferre visum fuerit.*

13. *Ab omni praeterea metropolitana subjectione erga archiepiscopalem Ravennatensem ecclesiam eximimus, ac liberamus episcopalem ecclesiam Adriensem, quam pariter metropolitico juri ejusdem patriarchalis ecclesiae Venetiarum perpetuo subjicimus, atque supponimus.*

14. *Insuper ecclesiam abbatialem sub titulo beatae Mariae virginis in coelum assumptae, et sancti Petri apostoli in civitate Asulana Nullius dioecesis proprium separatum territorium habentem, quod praeter dictam abbatialem decem parochiales ecclesias complectitur, apostolica jampridem auctoritate concessam venerabili fratri Friderico moderno episcopo Adriensi, qui usque ad praesens eidem in spiritualibus praefuit, tenore praesentium supprimimus, ac perpetuo extinguimus, illiusque titulum abbatialem penitus abrogamus, praedictamque civitatem Asulanam cum in ea existente paroecia sancti Andrae apostoli, proviso sufficienti dotationi pro divini cultus in eadem antea abbatiali ecclesia exercitio, in cujus civitatis moderni, et pro tempore existentis parochi commodum cedere debeat palatium ibidem situm, ac pridem abbatibus assignatum, aliasque septem paroecias, seu loca nimirum sanctae Annae di Garzoli, sanctae Margaritae Castrum novi, sancti Petri Barchii, sancti Stephani Casalmauri, sancti Laurentii Casalpolii, sancti Benedicti Aquae frigidae, et beatae Mariae virginis, et sancti Emiliani Casaloldi, ecclesiae, seu dioecesi Mantuanae perpetuo adjungimus, et incorporamus, superextantes vero binas paroecias, seu loca videlicet Ramedelli superioris, et Ramedelli inferioris, episcopatus, et dioecesi Brixienti perpetuo similiter attribuimus, et assignamus.*

15. *Ut demum ex locorum vicinitate, ac faciliori ad proprios episcopos adita promptiori cura, aptioribusque remediis fidelium necessitatibus occurratur, eadem apostolica auctoritate novam, et magis ex rei sacrae rationibus accommodatam nonnullarum paroeciarum distributionem sancendam ducimus. Quare in eum finem paroeciam sanctorum Hermagorae, et Fortunati de Grado, quam a patriarchali Venetiarum dioecesi sejungimus, Goritensi dioecesi attribuimus: paroeciam sancti Joannis Baptistae de Latisana, quam ab eadem Venetiarum dioecesi secernimus, Utinensi dioecesi adjungimus; paroecias denique sancti Virdomiani, sancti Martini de Bibano, sancti Laurentii de Pianzano, sancti Petri de Zoppetto, sancti Joannis Baptistae s. Floris superioris, et sanctae Justinae sancti Floris inferioris, quas pariter a jurisdictione patriarchae Venetiarum eximimus, dioecesi Cenetensi perpetuo aggregamus.*

16. *Item paroecias, seu loca de Castro Aviani, de Sesto, de Corbolone, de Bando de Saletto, de Cimolais, de Claut, de Erto, de Sbrozavacca vulgo Torrate, quas e dioecesi Utinensi sejungimus episcopatus Concordiensi subjicimus. Insuper paroecias, seu loca, s. Cassiani del Meschio, Ceneva, Rugolo, sancti Stephani de Pinidello, de Castro Roganzuolo, Godega, Orsago, santo Polo, quas a dioecesi Utinensi pariter secernimus, dioecesi Cenetensi omnino tribuimus. Deinde ecclesiae Tarvisinae subjicimus paroeciam de Moniego quam idcirco ab Utinensi eximimus. Tandem paroecias, de Belvedere, de Bergona, de Brazzano, de Campolongo, de Muscolis, de Perteole, de Pradizziolo, de Scodovacca, de Strasoldo, de Montalcane, de s. Canciano, de s. Pietro de Lisonzio, et de Ronchi de Monfalcone, nec non filiales quas dicunt curatias, de Lonch, de Vencò, de Ruttars, de Cavenzano, de Saciletto, de Altura, de Mortesins, de Collobrida, de Lonzano, de Mernico, de Serio, de Sinico, de Nebola, de Viscone, de Revidischia, de Ariis, de Villoraspa, de Bistrigna, da Begliano, de Pieriis, de Isola Morosini, de Fogliano, de Juniaco, de Cassegliano, de Polazzo, de Bedipuglia, de s. Zanut, de Staranzano, de Vesmeigliano, de s. Polo, de Solleschiano, de Setz, de Dobbia, et nuncupatum sanctuarium di Barbana, quas singulas ab eadem Utinensi dioecesi sejungimus, Goritensi episcopatus supponimus.*

17. *Item dioecesi Vicentinae perpetuo aggregamus paroecias, seu loca, Triola, Sclavonum, Bregantiae, Masonum, Villaraspa, Planitiae s. Christophori, Planitiae s. Laurentii, Mulvena, Marostica, et Novae, quas idcirco a Patavina dioecesi dividimus. Item a Veronensi dioecesi secernimus paroeciam sanctae Mariae de Cinto, eamque dioecesi Patavinae tribuimus. Item a Vicentina dioecesi sejungimus paroecias, seu loca, Villa Comitum, s. Annae Maurocena, Onaria, Cittadella, Rossan, de Luteo, et de Selvatiano, easque Patavinae ecclesiae assignamus. Item a Concordiensi dioecesi dividimus paroeciam de Turrita, eamque Utinensi ecclesiae supponimus. Item a Bellunensi dioecesi secernimus paroecias de Mussolente, et de Casonibus in territorio Acelli, easque dioecesi Tarvisinae aggregamus. Item a Feltrensi dioecesi, sejungimus paroeciam de Primolano, eamque dioecesi Patavinae assignamus. Item a dioecesi Adriensi secernimus paroeciam de Barbana, eamque ecclesiae Patavinae subjicimus: paroecias etiam sex, quibus Adriensis ecclesia potitur in regione citra Padum in vicinitate dioecesis Ferrariensis, ab eadem Adriensi dioecesi secernimus, easque Ferrariensi archiepiscopatus addicimus. Item a dioecesi Goritensi sejungimus paroecias seu loca Driolassa, Precinico, Rivarotta, Campomolle, Flambruzzo, Gorpetto, Gonay, Ontagnano, Zuino, et Carlino; nec non filiales curatias vocitatas, Tiziano, Gradiscutta, Gorizzia, s. Giorgio, Falmico, Faulisi, s. Gervaso, et*

Casino: easque omnes, et singulas dioecesi Utinensi attribuimus. Tandem a dioecesi Ravennatensi sejungimus paroecias, seu loca, Crispini, et s. Appollinaris; nec non a dioecesi Ferrariensi binas alias paroecias de Fiesso et Pissatolce: easque dioecesi Adriensi, perpetuo attribuimus.

18. Illud vero expresse declaramus ex nova hisce Nostris literis sancita paroeciarum distributione, nihil omnino detrimenti inferendum esse in episcopalem censum, quem intra earum fines episcopi habuerint, e quorum regimine easdem sejunximus, quos in eorumdem bonorum possessione plane tuendos, conservandosque esse mandamus.

19. Quocirca venerabili fratri Josepho Mariae episcopo Clodiensi, quem exequutorem praesentium literarum apostolicarum eligimus, ac deputamus ad hoc, ut pro supradictarum ecclesiarum episcopaliu[m] soppressione, et respectiva unione, nec non pro translatione metropolitici juris ab Utinensi in patriarchalem ecclesiam Venetiarum, et pro suffraganeorum assignatione, ac demum pro praefatarum paroeciarum distributione, ceterisque aliis in hisce Nostris literis contentis, atque statutis omnia, et singula, quae opus esse dignoverit etiam per ecclesiasticas personas ad peculiare[m] actus ab eo specialiter subdelegandas gerere, facere, disponere, ac ordinare libere, ac licite possit, et valeat necessarias omnes, et opportunas facultates concedimus, et impertimur.

20. Praesentes autem literas, et in eis contenta atque statuta quaecumque etiam ex eo quod quilibet in praemissis seu in eorum aliquo jus, aut interesse habentes, seu habere praetendentes non vocati, vel non satis auditi fuerint, aut illis forsan non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quovis alio quantumvis substantiali, et inexcogitato defectu, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, vel in controversiam vocari, aut aliud quodcumque juris, vel facti remedium impetrari minime posse, sed illas semper, et perpetuo firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, ac inviolabiliter observari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter confrigerit (confluxerit?) attentari, irritum, et inane decernimus.

21. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac variis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non supradictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et concessionibus quantumvis specifica, et individua mentione dignis, omnibusque et singulis apostolicis, ac in synodalibus quoque, provincialibus, et universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac praesertim binis sanctae memoriae Benedicti XIV praedecessoris Nostri literis sub plumbo expeditis una videlicet pridie nonas julii anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo primo incipiens = Injuncta Nobis = atque altera decimo quarto kalendas maii anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo cujus initium = Sacrosancta = quibus omnibus et singulis earumque totis tenoribus et formis etiamsi specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, vel illorum tenores ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium et singulorum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

22. Volumus pariter, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, dismembrationis, divisionis, applicationis, unionis, subjectionis, circumscriptionis, attributionis, assignationis, statuti, commissionis, mandati, decreti, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

*Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem
anno incarnationis Dominicae
millesimo octingentesimo decimo octavo, kalendis maii,
pontificatus Nostri anno decimo nono.*